



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. IV. An in juramento liceat uti æquivocatione?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

IX. Peccat æquè graviter, qui ab altero exigit juramentum, sciens eum esse p̄jeraturum. Excipe, nisi justa causa, & necessitas exigat; quia tunc perjurium ex sola pejerantis malitia sequitur, nec alter moraliter censetur illius causa, cum utatur suo jure. Quod tamen extra judicium rarò habet locum in privatis personis. *S. Thom. q. 89. Suar. l. 3. c. 13. & 14. Sanch. lib. 3. c. 8.*

X. Non pejeravit, qui juravit aliquid re ipsa falsum, quod ipse bona fide, & cum ratione putavit esse verum.

XI. Excusari subinde quidam simplices à mortali perjurio videntur posse, ratione inconsiderationis, cum usurpant quasdam formulas juratorias, ut, per animam meam; puniat me Deus. Et sic enim sciunt id vocari juramentum, non tamen apprehendunt, quod jurare sit aliquid grave, & invocare Deum in resem; sed tantum apprehendunt confusam aliquam rationem mali, non tanti momenti, *v. Bon. l. c. Lay. c. 1. 14.*

#### DUBIUM IV.

*An in juramento liceat uti æquivocatione.*

Resp. Jurare cum æquivocatione, quando justa causa est, & ipsa æquivocatio licet, non est malum: quia ubi est jus occultandi veritatem; & occultatur sine mendacio, nulla irreverentia fit juramento. Quòd si autem sine justa causa fiat, non erit quidem perjurium, cum saltem secundum aliquem sensum verborum, vel restrictionem mentalem verum juret, erit tamen ex genere suo mor-



tale contra religionem; cum sit gravis irreverentia, ad alterum in re gravi decipiendum usurpare juramentum. *Ita communiter DD. v. Sanch. l. 3. c. 6. Bonac. p. 12. Lay. cap. 1. Unde resolvitur.*

I. Graviter peccat, qui utitur æquivocatione, quando non rogatus, sed sponte sua jurat, quia tunc tenetur uti vocabulis secundum communem significationem, inquit *Tol. l. 4. c. 21.* eò quòd non habet rationem æquivocandi.

II. Graviter item peccat, qui utitur æquivocatione, quando juramentum justè exigitur, ut à judice vel superiore, in re gravi. *Bon. l. c.*

III. Si autem fiat tale juramentum in re levi, per jocum, & citra inobedientiam, ac notabile damnū alterius, erit tantum veniale; ut probabilitè docet *Sanch. lib. 3. cap. 6.* contra alios: quia sola discretione sive judicio caret. *v. Bon. l. c.*

IV. Licet æquivoce jurare, si juramentum exigatur injustè, ut v. g. si quis exigat juramentum, qui jus non habet, v. g. Judex incompetens: vel si non servet ordinem juris. Item, si exigatur per vim, injuriam, metum, v. g. si vir exigat juramentum ab uxore de adulterio occulto; si latrones exigant à te lytrum cum juramento. *Sayr. l. 4. c. 5. Et l. 12. c. 17. Less. Trul. l. 2. c. 1. d. 15.*

V. Qui exterius tantum juravit sine animo jurandi non obligatur, nisi forte ratione scandali, cum non juraverit, sed luserit. In foro tamen externo potest cogi, ut servet, *Sanch. 7. mor. c.*

*10. n. 11. Trul. l. 2. d. 10.*

DU.